PS. EUSEBIUS CREMONENSIS. PS. AUGUSTINUS. PS. CYRILLUS HIEROSOLYMITANUS. ISIDORUS HISPALENSIS

Salzburg, 1470 Seite 47v

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8135
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



continens et concludens. Idem in mari
et in abyssis ad nutum regens omnia
et conservans. Idem in inferno potenter
dominans sub tanta panis brevitate conti-
neris non particulariter sed integre
et perfecte ac inseparabiliter. O. ineffa-
bilis admiracio. O. omni novitatum no-
vitas. Oculi in te vident albedinem
saporem sentit gustus. odorem olfactus
tactusque subtilitatem reperit. Sed audi-
tus cordi representat in te illa non fore
accidencia. Hinc certe per se sola existunt
accidencia sine subiecto. Quia non ut humanis
videtur sensibus panis es sed totus iesus
christus integer sicut in celo ad patris
dexteram resides deus et homo. Aves pa-
nis vite. qui de celo descendisti dans te
sumentibus digne vitam. Non sicut
manna quod in deserto nostris plurimis patribus
de quo omnis qui manducaverit mortuus est
Certe qui te digne sumit. quamquam morte cor-
porali anima a corpore separetur non morietur
in eternum quia non illa separacio mors est
sed de morte ad vitam transitus. Unde qui
te digne manducat in mundo moriens
tecum eterne vivere incipit. O. quam preciosa
mors illa est antequam homines mortui sunt postquam
incipiunt vivere. Tu panis angelorum